



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Procemium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)



DE MIRABILI PERFECTI- ONIS DIGNITATE.

LIBER QVARTVS.

Proœmium.

PERFECTIONIS naturam atque substantiam pro tenuitate cognitionis nostræ superior tractatus exposuit; nunc eiusdem excellentiam ac dignitatem liber iste, cui (diuino numine fauente) initium damus, si non prout oportet, at vt nobis concessum fuerit, simplici & impolita nostra oratione, declaret. Quæ dignitas, licet probè intelligentibus, ex ipsa perfectionis natura facillimè colligatur, quæ fons est & origo omnium earum, quibus fulget, proprietatum; tamen sub alio titulo fuit explicanda; tum ne lectores prolixitas tractationis deterreat, tum ne minus suprâ dicta callentes, obscurum putent, quod per seipos nesciunt ex principio deducere, & facili quadam rationatione propalare. Non omnibus datum est, ex fonte fluminis magnitudinem, & aquarum salubritatem, agnoscere, non omnes sciunt ex principio conclusiones & pronuntiata colligere, non omnes possunt testam duram effringere, & dulcissimum nucleû extrahere. Qui puerorum more cupient suæ imbecillitatis iuamè, quo valeat occulta intelligere, abscondita eruere, & quæ erant integra, in partes comminuta considerationis faucibus deglutire: His præcipuè tractatio ista, quam elaboramus, subseruet, quæ in hoc tendit, Vt incomprehensibilem perfectionis dignitatem, eius natura inuolutam aperiat, & sanctitatis decus, & ornamentum hoc solo nomine perfectionis aut sanctitatis contextum, attentè legentibus patefaciat. Nec tamen doctis & literatis erit profusus inutilis, quibus, quæ iam sciunt, & nomine perfectionis intelligunt, ordinatè disposita, & ad memoriam reuocata, intellectui iucunditatem afferent, & affectui deuotionis & amoris erga Deum incitamenta ministrabunt. Hæc autem est prima ac præcipua huius libri destinatio, perfectionis diuitias aperire, & omnibus religiosis in commune proponere; vt tanta pulchritudine exciti, & bonorum copia prouocati, eas appetant, propter quas, terrenas diuitias reliquerunt, & assequi, atque obtinere procurent. Et sicut Iosue & Caleb, qui terram promissam fuerant eminus contemplati, ingenti asseueratione dicebant, vt Israëlitas ad eius expugnationem animarent, Terra, quâ circueimus, valde bona est, si propitijs fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem; & alia similia in possessionis sibi à Domino data laudem enūciabant: ita & nos, qui funiculum heredita-

A tis nostræ, assidua meditatione cognouimus, (& vram, vt cognouimus, sic intentissima contentione assequi cuperemus) eius dignitatem dicimus, pulchritudinem pandimus, magnificentiam exponimus, vt obliuiolos ad eius amorem, & torpentes ad ipsius assequutionem excitemus. Terra profectò, quam mente circueimus, & luminib. internis lustrauimus, optima est; quia finis est laborum, quia velut semen bona cæli cõcinet: quia quicquid boni & amabilis, aut petere, aut optare possumus, comprehendit. Si Dominus voluerit, & nostri miserus fuerit (& vtiq; miserebitur, si nos eius gratiæ non defuerimus) inducet nos in eam, ita vt præclarissimâ Ecclesiæ partem, perfectis & iustis assignatam, accipiamus, & eius pacifica possessione lætemur. Ipse tradet nobis terram lacte & melle manantem, aut cæli imaginem eximia puritate, & ineffabilibus gaudijs affluentem, qua in hac vita, magni, nobiles, & diuites; & in futura, beati, & felices existemus. Huius spiritualis terræ qualitates (quo nomine perfectionem intelligimus) sigillatim tractande sunt, vt videamus, an æquum, & rationi consonum sit, mundanis rebus exolutos, & eius acquirendæ gratia opibus, honoribus, & delicijs exoneratos, in media via sedere, in cæno imperfectionum nostrarum iacere, & nunquam brauium supernæ vocationis assequi, nec ad requiem nobis promissam peruenire. Equidem puto, nos in vanum laborasse, & superuacue res mundanas contempisse, si aut finem cuius causâ eas contempsimus, non assequimur, aut eum obtinere non toto mentis nisu contendimus. Si enim filius primi parentis nostri Adæ, secundus natu post Cain, vocatus est Abel, hoc est, luctus, aut vanitas, quoniam immatura morte luctum & tristitiam parentibus attulit, & quia mortalitati subiectus, posteritatis, bono priuatus est, & vxorem non habens, filiorum iocunditate frustratus: quidni vocemur nos vani & miserabiles, quorum calamitas & miseria tanta est, vt tepiditate, & socordia nostra, religioni quæ nos genuit & educavit, fletum & gemitum afferamus, & sine, cuius causâ vitam religiosam aggressi sumus, scilicet vera virtute & perfectione frustreremur? O nos fletu & commiseratione dignissimi, qui cum ad hoc nati & vocati simus, vt vera conuersione nostra Angelos & sanctos ad gaudium & lætitiâ excitemus, sicut aut tepidè conuersi, potius quod in nobis est, ad luctum & mœrorem prouocamus. Nam si fieri posset, ipsi lugerent, & præ angustia & dolore tabescerent, dum nostram cæritatè animaduertunt, &

Num. 14.

Genes. 4.

ingratitudinem ac mentis incuriam detestantur! O nos inanes & vani, qui non intempestiva morte prærepti, sed vsque ad vitilem artem, & vsque ad lenectam, & canos, sustentati bonorum operum fructu careremus; & filios lucis, id est, aliqua perfectionis indicia numquam edidimus: O nos infelices, qui mensa virtutis accumbentes, fame laboramus; & prope fontem meritorum sedentes intolerabili siti cruciamur, & in ipsa diuitiarum domo pauperes, egeni, & nudi sumus! Quid enim aliud est religiosus status, nisi mensa laurissima, suavissimis virtutum epulis onerata, quibus ferudi, & suæ salutis solliciti seipso rescium? Quid est, nisi fons aquæ viuæ, quæ iustorum desideria satiat, & sitim adipiscende puritatis extinguit? Quid est nisi locus thesauri ditissimi, quem pauperes diligenter effodientes, paupertatem excuriunt, & incomparabiles animæ diuitias acquirunt? Sed ad hanc mensam recumbentes esurire; ad hunc fontem os applicantes sitire; in hoc loco opum & diuitiarum commorantes, spiritualibus bonis indigere, magna calamitas, miseria est, quam deberemus effugere, & vita feruida, & nostro statu digna propulsare.

Iam ergo, ut hunc finem lectores assequantur, nos illis sanctæ perfectionis dignitatem & excellentiam, quam quærunt, clara & dilucida oratione pandamus. Et quemadmodum insitiores, merces non quærunt, & præ vetustate putrescentes, ad tabernæ iauam appendunt, ut prætereuntes inuident, & ad emendum alluciant: ita & nos sanctitatis & perfectionis merces nunquam perituras, quas Deo donante cognouimus, & mediantes admiramur, legentibus ostendemus, & pro nostra possibilitate, amore Dei & proximi instigante, monstremus, si forte tanta pulchritudine illecti, velint eas emere, & in suum usum vindicare. Merito autem perfectionis adeptionem cum alicuius merces emptione contulimus, quoniam sicut nemo nisi oblato pretio, rem venditioni expositam obtinet, ita nullus nisi labore, & industria ope diuinæ gratiæ roborata, perfectionem & sanctitatem acquirere. Omnes si tientes venite ad aquas, ait Isaias, & qui non habetis argentum, properate; emite, & comedite: Venite, emite absque argento, & absque vlla commutatione, vinum & lac.] Sed hoc ita enunciatur est, non quia aqua viua, & animæ puritas, ac consolatio diuina sine pretio cõquiratur, sed quia pretium laboris, & sollicitudinis à nobis dandum, admodum exiguum est, & nullius ferè momenti, si magnitudini & valori perfectionis cõparetur. Nūquid non qui rerum naturas contemplantur, globum terræ cum cali ambitu comparatum punctum vocant, & quasi nihil appellat? Quid ergo mirum, si noster labor in perfectionis adeptione collocatus, & cum tam eximio & incomparabili bono collatus, nullum pretium, & nullus valor nominetur? Vel aliter, nos perfectionem, & mentis puritatem absque argento, & absque vlla commutatione emere dicimur, non quia sine pretio magnorum laborum, & sine dimissione omnium rerum, & abrenuntiatione nostræ voluntatis assequamur, sed quia id, quod in ipsius adeptione impendimus, non amittimus, sed nobis ipsis retinemus. Quem intellectum sanctus Bernardus expressit, dicens: Quid est emere sine argento, & sine commutatione? Non talis est emptio apud amatores huius sæculi, sed apud auctorem sæculi alia esse non potest. Propheta enim dixit Domino: Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges.] Quæ igitur commutationem ei dabis, homo, pro gratia sua, qui nullus eget, & cuius sunt vniuersa? Gratia gratis datur, etiam cum emitur, gratis emitur, quia quod datur pro ea, nobis melius retinetur.] Perfectio itaque, merx est, & pretium pro ea dandum est, & magni labores

Isai. 55.

Ier. 17. de
resurrect.

Ier. 17.

A subeundi, sine quibus diuinæ gratiæ cooperantibus ineptum valde est, aut perfectionem velle, aut ad illam solis tepidis desideris anhelare. Quæ quàm inutilia sint & inefficacia ad veram sanctitatem obtinendam Ioannes Cassianus his elegantissimis verbis declarauit. Inter has vitales concupiscentias (carnis scilicet & spiritus) animæ voluntas in medullis quodam vituperabiliore consistens, nec vitiorum flagitiis oblectatur, nec virtutum laboribus acquiescit, sic quærens à passionibus temperari carnalibus, ut nequaquam velit dolores necessarios sustinere, sine quibus virtutes spiritus nequeunt possideri; absque castigatione carnis castimoniam cupiens corporis obtinere; sine vigiliarum labore cordis acquirere puritatem; cum requie carnis spiritualibus exuberare virtutibus, absque vilius exasperatione conuitij patientiæ gratiam possidere; humilitatem Christi sine honoris mundani exercere iactura, religionis simplicitatem cum sæculi ambitione sectari, Christo cum hominum laude ac favore seruire; distributionis veritatem sine cuiuspiam vel tenui offensione profere; postremo, sic vult futura consequi bona, ut præsentia non amittat. Quæ voluntas numquam nos ad perfectionem veram faceret peruenire, sed in tempore quodam teterrimo collocaret.] Merces igitur sanctæ perfectionis in publicum proferre volumus, quæ non gratis accipiendæ, sed pretio multi laboris, & magnæ sollicitudinis emendæ sunt. Brauium immensi valoris in medium producimus, quod currentibus in stadio huius vitæ, & seipso vincitibus datur; inertibus verò & otiosis nequaquam obtinendum conceditur. Huius pretiosissimæ mercis, & huius magnificentissimi brauij dignitatem & excellentiam euoluamus, huius medicaminis efficacitatem exponamus, ut illud cognoscentes, sine vilo timore, & cum magna fiducia, vulneribus nostris applicemus, plagas nostras curemus, & perfectam nobis sanitatem, id est, sanctitatem paremus. Nam si medici (ut inquit sanctus Ephraem) & qui dicuntur pigmentarij, siue pharmacopola, studiosè inquirunt radices, ac species herbarum: neque tantum digito demonstrant, sed & in scriptis tradunt, & hoc in dispensationem diuinam, puta in solarium infirmorum secundum carnem. Nonne multo magis debemus thesaurum gratiæ, ab eo donatum, promulgare? Nequaquam enim effugit pœnas feruus, qui per malitiam talentum domini sui negligens abscondit.] Certè, & ut otiosorum & pigrorum multam effugiamus, & ut nobis ipsis medeamur, & ut alijs, qui legerint, interiorum morborum remedium præbeamus, vtile erit decorem & magnitudinem perfectionis euoluere; & efficaciam eius, ita ut ab omnibus intelligatur aperire. Nonne perfectio sub nomine sapientiæ de se ait: Qui audit me, non confundetur; & qui operantur in me, non peccabunt: Qui elucidunt me, vitam æternam habebunt?] Hæc tria bonanos consequi enitamur. Audiamus illam obediendo, & parendo præceptis illius, ne tamquam preterui & inobedientes pudore afficiamur. Consilij & monitionibus illius edocti, nostram geramus negotia, ne in his, quæ aggredimur, crimen aliquod admittamus. Et nostris scriptis & lucubrationibus illustremus, atque in lucem proferamus illam, si non vt doctores, saltem vt discipuli & amatores ipsius, ne discipulorum & auditorum mercede priuemur. Periculosum enim est, acceptum talentum abscondere, & in sudario otiositatis occultare: quia istud faciens à Domino seruus malus & piger vocatur; & dono quod acceperat vacuus relinquitur.] Id itaque nostri muneris est, postquam (ut videtur) ad scribendum, voce Domini per superiores

Cassio.
col. 12.Ephraem.
in adhortatione
ad pietatem.

Eccles. 24.

Matth. 25.

exposita.

exposita, vocati sumus, quod de perfectionis dignitate concepimus, & ex manu Domini prerogatum accepimus, oculis omnium legentium offerre, & verbis, ac sententiis ex Scriptura & Patribus mutuatis, aperire.

Tu verò, ô religiose, qui hæc mea imperita scripta (quatenus mea sunt) non dedignaris perlegere, ne à me fosculos, qui solum intellectum delectent, neque ingeniosa dicta, quæ curiositatem pascant, expectes (neque enim ego tantus sum, ut in hoc tam delicato tempore, in quo tam pulchra, & ornata, & auribus placentia dicuntur, & scriptis in lucem eduntur, aliquid proferre audeam, quod ut acutum & subtile recipiatur, aut scitum & argutum existimetur) sed ea utcumque explicata, quæ cor compungant, quæ proficiendi desiderium accendant, & quæ voluntatem inflamment, exquire. Quia posteaquam ad hoc opus elaborandum accessi, numquam in animum meum induxi (Deus testis est) me ipsum, sed Christum, prædicare, & meam proteruam & duram voluntatem, ac alias meæ similes, ad perfectæ virtutis amorem & sequelam impellere. Absurdum namque putavi, hominem imperitum, & in has extremas orbis partes inter barbaros relegatum, & innumerabilibus corporis molestiis affectum, studium gemendi & orandi remittere, & non paucas horas præsentis fratrum utilitati subtrahere; ut inter tot sapientes & doctos, scriptis meis rudes edocerem, inter tot disertos & eloquentes curiositati inferuirem, & soli intellectui, ubique suavissimas epulas habenti, satisfacere. Voluntates itaque simplices quero; has ut me audiant, ut mea verba auscultent; ut mea scripta relegant, voco: In ipsarum utilitatem laboro, & eas ad perfectionis fastigium obtinendum, aliquid opis afferre desidero. Si tu similem voluntatem habes: & in librorum spiritualium lectione, tuæ animæ correctione & emendationem inquiris, accede, lege, & quæ legeris, in pabulum hominis interioris assumes. Ut verò ad hunc finem emendationis peruenias, rogo te, ne perfectionis magnalia, hoc libro contenta, legas cursim ac festinanter, sed sensim auribus interioribus, ac pedetentim instilles. Animæ medicamina, sicut & corporis, non simul atque adhibentur, tollenda sunt, quia sic, licet per se efficacia, nihil omnino proficiant, sed ad plagam agglutinanda, quæ pus principio moueant, deinde consumant, & demum vulnus obducant, & si fieri potest, ipsam etiã cicatricem deleant, atque submoueant. Hæc ergo, quæ ut medicamenta egrorum nostrarum offerimus, ita sensim paulatimque legantur, ut valeant mentem excitare, sanè vitiorum exhaurire, & nobis optatam

A salutem afferre. Quæ ita legeris, postea meditare, & attenta atque quieta circumspeditione cõsidera: Nam si animal non ruminans, ore Domini, immundum est, quo pacto mundus erit religiosus, inter alia ad meditando vocatus, quomodo scilicet munditiam consequetur, si quæ legit, meditatione, & consideratione non ruminat, ut comminuta digerat, & in interioris hominis substantiam conuertat? Lectioni igitur meditatio succedat, quæ quod legeris intra te ipsum examines, & trutina considerationis appendas, & tuæ indigentia prudenter accommodes. Hac ratione manifestè conspicies quàm parum Christum amas, quàm à longè ipsum sequeris, & eius virtutes imitaris, quàm veræ sanctitatis penuria vexaris, quàm ferè nihil ob tuam magnam ignauiam, priuilegiorum eius experiris, quàm vilis & abiectus permanebis: Quibus malis & spiritualibus indigentis te obnoxium, ac subiectum aduertens, non dubium, quin te ipsum deplorabis, & tantam miseram & vitæ abiectiõnem derestaberis, & de cætero, vitam mutare, te ipsum vincere, & perfectam virtutem obtinere decernes. Tandem meditationi ardens oratio absolutionem abijciat, cuius præsidio Dominum deprecetis, ut tibi perfectionis possessionem attribuat, perfectorum dona experiri faciat, & aliqua Sanctorum suorum (quæ nunc exponemus) priuilegia concedat. Sic nec tu fructu huius lectionis carebis, neque ego laborem meum huic tractationi impensum frustra laboro, dum ambo proficimus, & Domino manipulos, siue propriæ, siue alienæ emendationis offerimus. A quo verò fructus iste, & in me & in te sperandus est? Certè non à nobis, qui tãquam terra maledicta, non virtutis fructus ex nobismet ipsis, sed vitiorum spinas, & tribulos germinamus: sed à Domino, qui omnium bonorum origo est, eum nobis sperare & postulare debemus. Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore opportuno. Aperi tu manum tuam, & imple omne animal benedictione.] O benignissime Domine respice nos oculis misericordiæ tuæ, sperantes in te, & lucè intellectus, ac fortitudinè voluntatis impertire, ut dona sanctis & perfectis viris parata cognoscamus, & ea assequi & obtinere curemus. Aperi nobis famulis tuis nomina, quibus perfectionis decore abscondisti, ut illis bene cognitis perfectionem admiremur; eolue sanctitatis pulchritudinè ex mirabilibus donis, quasi membræ compositam, ut sanctitatis decus & ornamentum amemus. Objice oculis nostris puritatis affectus, ut tanta dulcedine prouocati, vitiorum amaritudinem abijciamus, & puritatis dulcedinem omniconatu, ac mentis contentione sectemur.

Lent. 11.

Psa. 144.

2.2.9.13. art. 1.

PARS PRIMA

HUIUS LIBRI DE DIGNITATE PERFECTIONIS,
sumpta ex multiplici eius nomine, atque ex ipsius natura.

HARITAS suapte natura, Dei amicitia est, cuius gratia, ut Thomas ait, Deus homines non iam seruos, sed amicos vocat, & eo ipso est unio anima cum Deo, & unio inima supra id quod mens humana cogitare potest, si ad sui perfectionem usque procedat. Hanc verò amicitiam, ac Dei & hominis unionem multa nomina sacris literis imposita perfectionis, significant. Quæ in hac tractatione primò explicamus, quia eximiam quandam perfectionis excellentiam patefaciunt, & ex illis ad eius dignitatem propria natura comprehensam descendimus.